

marum commodum et salutem se conspexerint adepturos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui quotiens reliquias et peciam huiusmodi ostendi contigerit, ecclesiam reliquias ac peciam huius modi visitaverint et ostensionibus ipsarum reliquiarum et peciae interfuerint, et ad conservationem ecclesiae huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quotiens id fecerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romae apud sanctum Petrum X. Kal. Decembris Pontificatus nostri anno tertio decimo.

Pro P. Petra.

Aussen: Notariatszeichen.

Gerlacus.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide. Ursinus Gesch. der Domk. S. 232 f.

No. 763. 764. 1401. 10. Dec.

B. Thimo stiftet und dotirt zwei Altäre in der Erasmuscappelle auf dem Schlosse Stolpen.

In nom. dom. amen. Ad haec sagax debet esse intentio sollicitior, ubi bonorum largitio omnium rex regum dominusque dominantium praeconiis laudum colitur orthodoxorumque pia mens religiosior ac purior fieri non dubitatur. Verum cum in castro nostrae ecclesiae Misnensis capitali Stolpen nuncupato ab olim antecessoribus nostris cappellula constructa sit numero cappellanorum et altarium penitus destituta in tantum, quod ad instar cubiculi rarissime divina praeterquam in praesentia pontificis celebrantur inibi officia, pium salubre arbitrabamur et meritorium esse de defectibus praemissis devotius consulendum. Igitur nos Thimo de Coldicz dei et apostolicae sedis gratia episcopus Misnensis inspirante nobis altissimo pro possibilitatis nostrae modulo haec et alia plura satagentes in melius reformare capellae novae quam in honore sanctorum Erasmi confessoris atque pontificis ac Bartholomei apostoli necnon Barbarae Dorotheae et Katherinae virginum ac martyrum beatorum de novo per nos construendam erigendam et in dictorum sanctorum nominibus consecrandam seu dedicandam deliberavimus, duobus altaribus inibi ponendis locandis et divina officia in eadem celebrandis de certis redditibus, videlicet viginti sexagenis Pragensis numeri et pagamenti per honorabilem virum piae memoriae dominum Johannem Punczelini canonicum Budissinensem mature comparatis et reemptionis titulo dotatis ac ad nos tamquam ad episcopum Misnensem devolutis, necnon accedente ad hoc heredum dicti domini Johannis Punczelini voluntate pariter et consensu, prout in litteris et privilegiis desuper confectis plenius continetur. Primo altari videlicet sanctorum Erasmi confessoris atque pontificis ac Bartholomei apostoli¹⁾ in ipsa nova cappella construendo puta decem sexagenas grossorum Pragensis numeri et pagamenti redditus et proventus dicto altari donavimus appropriavimus anneximus donamus appropriamus et annectimus perpetuis temporibus per praesentes ab eodem rectore altaris qui pro tempore

1) Secundo altari videlicet beatae Mariae virginis gloriosae, sanctorum Barbarae, Dorotheae et Katherinae virginum 764.